



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Regulæ vtilēs ad pleniorē spirituum discretionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

firmatam, custoditamque esse præ-
uiderit.

*REGVLÆ ALIÆ VTI-
les ad pleniorẽ spirituum discretio-
nem, & secunda hebdomada po-
tissimum conuenien-
tes.*

PRIMA est: Quod proprium est
DEI, & Angeli cuiusque boni, ve-
ram infundere spiritualem læti-
tiam animæ, quam mouent, sublata
tristitia, & perturbatione omni, quã
ingessit dæmon; cum hic è contra-
riõ, sophisticis argumentis quibus-
dam, veri speciem præ se ferentibus,
lætitiã illam in anima repertam,
oppugnare soleat.

SECUNDA: Solius est DEI, consolari
animam, nulla præcedente conso-
lationis causa; cum sit hoc proprium
Creatoris, suam ingredi creaturam,

& illam in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare. Causam vero præcedere nullam, tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quicquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.

Tertia: Quoties præcessit consolationis causa, auctor eius potest existere tam malus Angelus, quam bonus; sed ad fines tendunt contrarios: bonus quidem, ut anima in boni cognitione, & operatione magis proficiat; malus autem, ut male agat illa, & pereat.

Quarta: Id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis piis animæ votis, primum obsecundet; mox inde ad peruersa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio, bonas sanctasque hominis cogitationes sequi, & fouere; at deinde in occultas

fallacia-

fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

Quinta: Sedulo & accurate excutiendæ sunt cogitationes nostræ, circa principium, medium & finem suum. quæ tria si recte se habeant, angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: sin autem per discursum mentis, aliquid offeratur vel sequitur, quod ex se malum sit; vel auocet à bono; vel ad minus bonum impellat, quam anima, prius quærendo sequi decreuisset; vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet; sublata quæ prius aderat, quiete, pace, & trāquillitate; euidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis eiusmodi, spiritum malignum, utpote vtilitatem nostræ semper aduersantem.

Sexta: Quoties contingit in aliqua suggestionem deprehendi hostem ex cauda sua serpentina; id est, sine

I ; malo,

malo, quem semper nos insinuare studet; tunc plurimum iuuat, reuoluerе discursum totum, & notare, quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis; & quomodo præcedentem spiritualis gustus suauitatem, animi serenitatem, sensim amouere, ac venenum suum infundere tentarit, vt per huiusmodi experimentum cognitæ illius fraudes, facilius deinceps caueantur.

Septima: eorum, qui promouent in bono salutis, animis se insinuat vterq; spiritus diuerso modo: bonus quidem leniter, placide, ac suauiter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens; malus vero duriter, implacide, & violenter, cum strepitu quodam, ~~licet inder~~ decidens in petram: illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppositum prorsus vsu venit. Cuius sane diuersitatis ratio est, quatenus Angelo vtrilibet similis est vel

diffi-

diffimilis animæ ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus inuenerit, cum strepitu & pulsu, qui facile aduerti queat, ei se coniungit: Si conformem vero, tanquam in propriam & apertam domum subit cum quiete.

Octaua: Quoties sine præuia vlla causa, consolatio nobis adest, quamuis ei, tanquam diuinitus immisæ, vt supra dictum est, nihil fallaciæ subelle possit; debemus tamen attente, ac sollicite distinguere præsens consolationis tempus à proximo sequente, in quo anima feruet adhuc, & fauoris diuini nuper accepti sentit reliquias. Nam posteriore hoc tempore, frequenter accidit, vt vel ex habitu, discursu, & iudicio proprio, vel ex boni aut mali spiritus instinctu, aliqua sentiamus, vel delibere-remus, quæ cū ab ipso Deo, citra medium non emanent, solerti indigent

discussione, priusquam recipiant assensum, vel in opus veniant.

*REGVLAE NON NVL-
la, in distribuendis eleemosynis
seruanda.*

PRIMA: Si quid erogare libeat in homines genere, vel amicitia coniunctos, erga quos sentitur procliuior affectus, Attendendæ erunt regulæ quatuor, quas ex parte circa electiones commemorauimus. Earum itaque prima hæc est; vt affectus erga tales meus, rectâ proueniat ex amore DEI; quem certe amorem debeo sentire in me, vt radicem esse & causam cuiuscunque ~~meæ~~ affectionis, erga cognatos, & amicos omnes; ac operam dare, vt in hoc præsentî negotio, præcipua ea ratio elucescat.

* *ee* SECUNDA: Vt * considerem, si quis alter cui parem mecum statum, seu

perfe-